

tur) in talissimum Christianæ Communionis portum commutata est.

#### CAPUT VII.

Tertio loco sancti Gregorii verba producit qui eum Antichristi præcursores appellat, qui Episcopi Universalis, aut summi Pontificis nomen usurpat. Sed locum nullum adducit, ubi nomen summi Pontificis S. Gregorius aversetur. Quod nomen a sancto Bernardo, sanctoque Anselmo, Romano Pontifici passim tribuitur. Quin etiam idem S. Gregorius, lib. i. Dialogorum cap. 4. prædecessorem quemdam suum disertis verbis Summum Pontificem nominat. Quamobrem et hoc inter mendacia numeretur. Porro nomen Episcopi Universalis in Joanne Constantinopolitano sanctus Gregorius duplici de causa merito reprehendit, nam et in eo sensu ab illo accipiebatur, quasi solus ipse esset Episcopus, quo sensu nomen Episcopi Universalis nulli homini convenit: et licet in alio quodam sensu appellatio illa in Romanum Pontificem optime quadret, ut etiam a Conc. Chalcedonensi S. Leoni tributum idem Gregorius refert, lib. iv. epist. 38. Tamen Joanni Constantinopolitano nulla ratione conveniebat. Itaque optimo jure S. Gregorius Antistitem illum Constantinopolitanum ingentis superbiæ notat, et præcursores Antichristi facit. Sed quid hoc ad rem, de qua nunc agimus, pertinet? Nam in primis Romanus Episcopus non se Episcopum Universalem, sed servum servorum appellat: deinde nomen Episcopi universalis, si bene accipiat, merito illi tribuitur, qui toti Ecclesiæ ab ipso Christo præpositus est. Denique non dicit Gregorius, Antichristum esse, sed Antichristi præcursores, qui se ipse Universalem Episcopum vocat: quare si se Romanus Pontifex universalem Episcopum diceret, in eo etiam sensu, quem Gregorius reprehendit, hoc ipso Antichristus non esset, quod ejus præcursor esset neque enim idem esse potest is, qui præcurrit cum eo, quem præcurrit, nisi Christum cum Joanne, dominum cum servo, regem cum præcone confundas.

#### CAPUT VIII.

Quarto testimonium adfert Arnulphi cuiusdam Episcopi Aurelianensis, qui cum ante 600. annos in conventu quodam Remensi

multa in Romanum Pontificem maledicta congereret, inter alia etiam Antichristum, appellare ausus est. Sed ista non pluris facimus, quam tuas, quicumque es auctor famosi libelli, et tui similium criminationes. Satis enim constat eum hostem Romani Pontificis fuisse, et inimico animo quicquid stomachus suggerebat evomuisse. Sed opponam illi uni Gallo Episcopo testimonia omnium Episcoporum Galliæ, qui tempore Joannis Papæ VIII. ante annos 700. Concilium apud Trevas celebrantes excommunicationem a Roman. Pontifice in principes quosdam latam his verbis comprobarunt: Domine Sanctissime ac Reverendissime Pater Patrum, Joannes, Catholicae atque Apostolicæ Ecclesiæ, sanctæ videlicet Romanæ primæ sedis Papa. Nos filii, famuli, ac discipuli vestræ auctoritatis, Galliarum, et Belgicarum Episcopi, his quæ super vulnera dolorum vestrorum maligni homines ac ministri diaboli addentes in sanctam matrem nostram, ac magistram omnium Ecclesiarum commiserunt, et dolori vestro conflentes condolemus, atque iudicium vestræ auctoritatis, quod privilegio B. Petri, et sedis Apostolicæ in eos, et complices eorum juxta sacros canones spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos, ac secundum ejusdem sanctæ Romanæ sedis Pontificum prædecessorum vestrorum decreta protulistis, voto, voce, et unanimitate nostra, atque auctoritate sancti Spiritus, cujus gratia in Episcopali ordine sumus consecrati, gladio Spiritus sancti, quod est verbum Dei, eos interimentes persequimur, scilicet quos, sicut prædiximus, excommunicatis, excommunicatos tenemus: quos ab Ecclesia abjecistis, abjicimus; quos anathematizastis, anathematizatos esse iudicamus, et quos regulariter satisfaciennes vestra auctoritas, et Apostolica sedes receperit, recipiemus. Hæc ex Aimoino lib. v. de gestis Francorum cap. 27. ad verbum transcribere volui, ut prudentes judicent, uni ne Episcopo Gallo, an synodo Episcoporum omnium Provinciæ ejusdem fidem habere oporteat.

#### CAPUT IX.

Quinto loco adversarius nesciens omnino quid loqueretur, ad sanctum Bernardum iudicem provocavit, ac ut stultitiam ejus magis mirere, ipsa ejus verba ponam. « Leggi, o Italia mia, quello che scrisse San Ber-

nardo hà piu di quattro cento anni nelli libri delle sue Considerationi del Papa, de Vescovi, e del Clero, e poi non dubito punto, che tu non confessi, che di tai persone non si poteva dire, à voler dire la verità, meglio di quello che dice ». Prodeat igitur sanctus Bernardus, et temerarium istum juvenem sua auctoritate confundat. Non solum enim in libris quinque quos de Consideratione ad Eugenium scripsit, ne verbo quidem sanctus Bernardus Pontificem Romanum Antichristum esse significavit, sed etiam in iis libris et in epistolis passim ejusdem Pontificis auctoritatem mirifice prædicavit, atque defendit. Primum librum ita exorditur: « Subit animum dictare aliquid, quod te Papa beatissime Eugeni vel ædificet, vel delectet, vel consoletur; sed nescio quomodo vult, et non vult exire læta quidem, sed lenta oratio, dum certatim illi contraria imperare contendunt, majestas, atque amor ». Ita nimirum sanctus Bernardus Antichristum alloqueretur, ita illum ædificare, delectare, consolari cuperet, ita simul diligeret, et timeret. In secundo autem libro accurate exponens, quid sit Papa: « Age, inquit, indagemus adhuc diligentius qui sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quid responsurum putas ille iniquus, homo peccati, filius perditionis, aperte denique dicam Antichristus? Audi quid respondeat. Quis es? sacerdos magnus Summus Pontifex; tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem et alii cæli janitores et Gregum Pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus, nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnipotens pastor ». Porro initio libri tertii una brevissima sententiola idem Bernardus expressit quousque se jurisdictio Romani Pontificatus extendat, ne forte adversarius noster reges ac principes conetur excipere. « Orbe, inquit, exeundum ei, qui forte vellet explorare, quæ non ad tuam summi Pontificis pertineant curam ». Librum quartum idem sanctus Bernardus semper sui similis ita concludit, ut Summum Pontificem

nomet « Christianorum Ducem, pastorem plebium, ultorem scelerum, malorum metum, malleum tyrannorum, regum patrem, legum moderatorem, Canonum dispensatorem, sal terræ, orbis lumen, sacerdotem altissimi, Vicarium Christi, Christum Domini, Deum Pharaonis ». Hæc igitur sunt quæ sanctus Bernardus in libris de Consideratione de Pontifice Maximo scribit, quibus vel ipso adversario teste, nihil verius dici poterat. Ac ut intelligat is, qui ad Bernardum iudicem provocavit, Summum Pontificem ex Bernardi sententia non tantum non esse ut Antichristum fugiendum, sed etiam ad eum proprie pertinere causas fidei iudicare, et non egredi limites suos, ut iste fingit, si de fide Gallorum sententiam ferat, audiamus initium epistolæ 190. ad Innocentium Papam, de Petro Abailardo, qui intra Gallias hæreses seminabat: « Amantissimo patri, et domino Innocentio Summo Pontifici Frater B. Clarævallis vocatus Abbas, modicum id quod est. Oportet ad Vestrum referri Apostolatam pericula quæque et scandala emergentia in regno Dei, ac præsertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum, hæc quippe hujus prærogativa Sedis ». Legat igitur Italia, ut adversarius cupit, legat etiam Gallia, legat Ecclesia universa Doctorem illum sanctum, sapientem, disertum et illi potius, quam stolido isti juveni, qui tamen Bernardum iudicem de hac controversia fecit, de Summo Pontifice credat.

#### CAPUT X.

Sexto loco producit ad medium verba quædam Eberhardi Episcopi Salisburgensis, quæ apud Joannem Aventinum exstant. Sed ea neminem movere debent, cum Joannes Aventinus auctor sit parum probatæ fidei, et non sine causa illa omnia in odium Pontificum vel finxisse, vel amplificasse credatur, nihil enim tale exstat apud alios historicos, ac ne apud ipsos quidem Germanos Wymphelingium, Krantzium, Nauclerum, qui eandem historiam litteris consignarunt. Deinde, licet historia ab Aventino vere conscripta esset, illud tamen in dubium revocari non potest, quin Episcopus ille hostis acerrimus fuerit Gregorii IX. Pontificis, et contra Friderico II imperatori addictissimus. Cum autem ob discordiam illam inter

Pontificem, et imperatorem omnia bello arderent, et factiones illæ Guelphorum, et Gibellinorum tunc primum exortæ, quasi rabie quadam accensæ furerent, qui Pontifici favebant in Fridericum, et qui Fridericum sequebantur, in Pontificem omnia convicia et maledicta faciebant, quæ in mentem venire ullo modo potuissent. Quare non quid irati homines tunc effutirent, sed utri bonam causam tuerentur, considerare operæ pretium erit; quod quidem illa etiam de causa utile erit, quod auctor iste paulo ante videlicet pag. 4. scribere ausus sit, Fridericos imperatores sanctos fuisse, et injuste a Pontificibus oppugnatos. Nolo scriptores Italicos producere, sanctum Antoninum, Blondum, Sabellicum, Platinam, et cæteros, qui adversario suspecti esse possent; sed Germanos tantum, qui ante exortam Lutheri hæresim sine præjudicio anticipatæ opinionis, rem ipsam, ut erat litteris prodiderunt. Jacobus Wymphelingius in Epitome rerum Germanicarum cap. 36. de Gregorio IX a Friderico II miris modis afflicto, ita scribit: « Tum Pontifex humanis destitutus auxiliis, ad rem divinam supplicationesque animum divertit, quibus, Deo agente, Fridericum avertit hostem ».

Habes hic testimonium hominis Germani, et quod majus est, Friderico imperatori adiectissimi, quippe qui cap. 39. summis eum laudibus effert, qui tamen satis aperte meliorem causam Pontifici tribuit, cum ab ipso Deo Pontificem ab imperatoris impetu defensum scribit. Joannes Nauclerus in II. volumine suæ Chronographiæ generatione 41. de Friderico II loquitur ad hunc modum: Romam veniens mores mutavit; spreta jurisjurandi religione multa, et quidem enormia aggressus, ditionem vexabat Pontificiam, Pontifices et Archiepiscopos ponens in Ecclesiis suo modo, et institutos a Papa expellens, collectas ab Ecclesiis exigens; et infra: « Admonitus super his, ipsi non obtemperabat: admonentem magis, magisque in dies sprevit, unde eum percussit Pontifex anathemate, etc ». Accedat Albertus Krantzius, ut in ore trium testium stet omne verbum. Hic insignis auctor in lib. VIII. Saxoniam, cap. 8: « Imperator, inquit, Fridericus a Papa multis ex causis excommunicatus, quas in bulla declaravit, diu permansit in sordibus »; et paulo post: « Pontifex sollicitavit Archiepiscopos et Episcopos, ut imperatorem excommunicatum cunctis

denunciarent: sed Episcopi Theutoniæ ne hoc fieret, supplicarunt, veriti tyrannidem ejus. In Francia autem, Anglia, et Dania denunciabatur sine timore ». Et paulo infra: « Imperator interim, cum Papa Concilium Prælatorum evocasset ad succurrendum terræ sanctæ, revocatis Cardinalibus de sua quemque legatione, omnes vias terræ, marique occupavit, et itinerantes ad urbem captos protraxit in carcerem Cardinales, Episcopos, Prælatos, nobiles, doctos ejusque generis et ordinis, ab orbe Christiano ad Summum Pontificem missos oratores. Doluit Christianismus tantum esse vulnus in visceribus, ab eo præsertim, qui omnia tueri susceperat, et Sacramento se adegit, cum interim Turci et Saraceni premerent Christianos in terra sancta ». Deinde cap. 9. horribilem Friderici crudelitatem his verbis exponit: « Perductos ad se Romanos partim quaternis ad crucis formam perfodit vulneribus; partim caput in crucis modum quadrifariam scidit; partim fronte eodem ferro cruce reddidit insignitos, clericos vero detonsam in vertice coronam ferro cæsari in crucem vulneratam, ut dicebat, jussit ornari, quorum unus inflicto vulnus nimis patienter tolerare visus, in palearum cumulum funiculo est pertractus: et cum benedicere ac laudare Deum perseveraret, igni supposito est crematus ». Et post multa similia summæ crudelitatis exempla subjungit cap. 10. de perfidia atque impietate ejusdem: « Friderici, inquit, rem in Sicilia administrantes, in nullum sacrum locum magis sævierunt, quam in Monasterium Cassinense divi Benedicti: aurea ejus et argentea vasa fregerunt, quæ Fridericus conflata redegit in nummos, et monachis inde vi ac convicio deturbatis, satellites sunt in habitationem ruinamque profecti; et quod impietatem auget, Saracenos adeo fovit Fridericus, ut eos mercede conductos magis, quam cæteros Christianos in militia charos habere sit visus: præterque arma tractantes multos ex ea barbarie per Italiam, et Siciliam honoribus, et magistratibus evexit, ejusque gentis amore in Christianos usque adeo est debachatus, ut Luceriam Apuliæ civitatem ejectis populariter Christianis, Saracenis dederit habitandam », et paulo post: « Legem in regione promulgavit, qua Saracenos adeo voluit salvos esse, ut contententes cum illis impune occiderentur: cæsorum autem Saracenorum quæstio, si captus non esset, qui

vim attulerat, in vicinæ regionis populos haberetur, quæ æris summa ac totidem capitum supplicio punirentur. Quin etiam alia impietate, atque insania, ut Saraceno non magis militanti, quam in Africa agenti commodaret, est usus, qui forma præstantiores per Siciliam mulieres, et suum Italiæ regnum concupitas virgines a parentum sinu, matronasque a maritorum complexu rapi et passus fuerit et curaverit. Tunetis Africa regis fratrem baptizari volenti Panormi prohibuit ». Hæc ille: atque hæc sunt videlicet pia illa opera ob quæ sanctum Imperatorem, et unctum Dei adversarius appellavit, et cur Pontifex Gregorius Antichristus jure habendus videatur, quia eum anathemate notatum ab Ecclesia ejecit. Sed pergamus ad cætera.

## CAPUT XI.

Septimo loco Joachimum Calabrum testem adducit, a quo in explicatione Apocalypsis Romanum Pontificem Antichristi nomine appellatum affirmat. Sed impudens est mendacium, quod certe nobilem virum, qualem iste se jactat minime decebat, tantum enim abest, ut Joachimus abbas ullo in loco Romanum Pontificem Antichristum esse significarit, ut contra potius frequenter de illo summo cum honore scripserit. In ipsa epistola, quam toti illi operi præmisit, jubet suum opus Apostolicæ Sedis judicio subjici, ubi etiam certa fide se credere dicit, non posse portas inferi contra Romanam Ecclesiam prævalere, neque usque ad mundi consummationem fidem ejus ullo unquam tempore perituram. Deinde in prima parte expositionis explicans textum septimum capituli secundi aperte scribit, Ecclesiam Constantinopolitanam finem esse habituram, Romanam autem ut veram Hierusalem, et thronum David semper mansuram. Rursus in expositione undecimi textus capituli sexti habet hæc verba. « Quicumque Petri Ecclesiam moribus, viribusque impugnant, Babylonis se filios contremiscant ». In expositione autem secundi textus capituli septimi per Angelum, ascendentem ab ortu solis, atque habentem signum Dei vivi, Romanum Pontificem intelligendum esse dicit, qui cum coepiscopis suis signo crucis electos muniet in illa ultima tribulatione, quam Antichristus videlicet excitabit. Sed quid opus est pluribus, cum adversarius locum nullum attulerit pro mendacio suo? Unus

exstat locus in expositione textus undecimi capituli noni, qui forte pro adversariis facere videatur. Sed in eo loco non verum Pontificem Romanum, sed principem quemdam Patarenorum hæreticorum, ab Ecclesia Romana jam olim damnatorum, quem illi suum Apostolicum dicebant, Antichristi præcurso-rem futurum esse Joachimus suspicatur. Sed nihil ad rem nostram hoc pertinet.

## CAPUT XII.

Adducit postremo testimonia trium auctorum, qui lingua Italica scripserunt, Dantis, Petrarchæ, atque Bocacii, quos testes esse dicit omni exceptione majores, quod Papæ domestici, quod antiqui, quod venerabiles ob vitæ et morum integritatem, quod summa doctrina præditi fuerint, quod sine perturbatione animi scripserint, quod denique etiam præviderint ruinam Pontificatus Romani, ut non tam poetæ, quam prophetæ fuisse videantur. Et quidem quid isti auctores scripserint, paulo post videbimus. Nunc breviter laudes illas, quibus ab adversario afficiuntur discutiamus. Ait in primis ejusmodi esse testes ut eis nulla ratione contradici possit. At si carmina amatoria, si fabulas, si somnia scripserunt, unde illis auctoritas tanta, ut contradici nequeat? Quid si Dantem ipsum qui maxime serius, ac sobrius ex tribus illis fuit, falsitatis, ne dicam mendacii, manifeste coarguam? Certe enim quæ scribit de Anastasio pontifice, ut suo loco ostendam, defendi nulla ratione possunt. Denique si testes isti adeo sunt veraces, ut fides omnino illis habenda sit, cur auctor iste pag. 22. fidem Danti habendam esse negat, cum donationem Constantini, et lepræ ejus Baptismo curatam affirmat? Ait deinde Papæ domesticos fuisse: quod de Dante et Bocacio simpliciter est falsum. Dantes enim factione Gibellinus, non modo non domesticus, sed etiam hostis Pontificum fuit. Bocacius vero nullius Pontificis domesticus fuisse legitur. Quod autem de eruditione et antiquitate dicit, antiquior et doctior S. Bernardus fuit, antiquiores etiam et doctiores innumerabiles alii, qui Summi Pontificis dignitatem totis viribus defenderunt. Sed risum vix tenui, cum Petrarcham, et Bocacium a morum sanctitate, vitæque integritate laudari vidi, cum eorum scripta Italica, ob quæ ab isto juvene tantopere commendantur, nihil fere nisi turpes amores

contineant, quorum etiam ipsum Petrar-  
cham aliquando vehementer puduit. Talibus  
videlicet sanctis prophetis digni sunt Luthe-  
rani, et Calvinistæ, qui juventutem libris  
suis corrumpant, qui Deam Venerem et  
prolem ejus Cupidinem pro summis numini-  
bus venerentur, qui vel triumphos amoris  
canant, vel confictis fabulis expugnandæ pu-  
dicitæ artes doceant. Istud credo, evange-  
lium ab antistite vestro Beza didicistis, cu-  
jus exstant tot carmina amatoria in Candi-  
dam, quædam etiam turpissima in eandem,  
ac puerum Audebertum; et qui non alia de  
causa præfationem in Psalmos penitentiales  
Latinis versibus scripsit, nisi ut formam  
Bethsabeæ impudicissime (ut fecit) nobis  
depingeret. Disce miser, aliquando tandem,  
quanto sit Ecclesiæ Catholicæ, quam vestræ  
sanctior disciplina, cum illos ipsos libros vos  
appelletis sacros, et iterum, atque iterum  
typis excusos populo obtrudere nitamini,  
quos censura Ecclesiæ Catholicæ legi ob im-  
punitatem, et corruptelam juventutis prohi-  
bet. Jam quod addit hos auctores sine animi  
perturbatione de Romano Pontifice esse lo-  
cutos, quis credat, cum Dantes factione, ut  
dixi, Gibellinus eos fere Pontifices solum  
reprehendat qui Gibellinis præter cæteros  
adversabantur. Nicolaum III, Bonifacium  
VIII, Clementem V. Nam a Petrarcha tria  
illa cantica in Curiam Romanam non sine  
magna animi perturbatione scripta, cum  
aulicis infensus esse cœpisset, clarius est  
quam ut sit a nobis necesse dici. Quod de-  
nique ad vaticinium illud pertinet, quo illi  
Romani Pontificatus ruinam præsignificasse  
vobis visi sunt, si quidem illi tale aliquid  
prædixerunt, id ipsum de vaticinio ipsorum  
dicimus, quod de similibus prophetis olim  
Ezechiel cap. XIII. pronunciavit: Veh pro-  
phetis insipientibus qui sequuntur spiritum  
suum, et nihil vident. Tentaverat quondam  
Martinus Lutherus horum omnium, qui nunc  
in Ecclesiam Catholicam debachantur, pa-  
rens, futura prædicere, ac in epistola qua-  
dam anno 1521. cum illa inscriptione edita  
fidelem admonitionem ad omnes Christianos,  
audacter prædixit, post biennium fore, ut  
papæ, cardinales, episcopi, presbyteri, mo-  
nachi, moniales, turres, campanæ, et quic-  
quid ecclesiasticum est, in auras diffunderet,  
atque evanesceret, modo, ipse illo biennio  
concionari, et scribere, ut cœperat sineretur,  
sed permissus est non duos, ut petebat, sed  
fere viginti et duos annos summa libertate

scribere, ac docere, nec tamen quidquam  
eorum quæ prædixit, evenit. Atque eundem  
exitum omnia ejusmodi vaticinia necessario  
sortientur, quæ cum prophetæ illius omni-  
potentis vaticinio pugnant: *Super hanc pe-  
tram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ in-  
feri non prævalebunt adversus eam.* Matth. XVI.

## CAPUT XIII.

Quia vero Pius V Pontifex optimus, et  
sanctissimus carmina illa Petrarchæ, quæ  
adversus Urbem Romam impie scripta fue-  
rant, abradi jussit, inde sumpta occasione,  
adversarius in extrema declamatione sua  
tragice deplorat, quod libri sacræ Scripturæ  
non passim lingua vulgari unicuique permif-  
tantur. Sed causam istam tam inepte et im-  
perite agit, ut nisi inscitiam ejus ex toto  
ipsius opere deprehenderem, suspicarer for-  
tasse eum prævaricari dedita opera voluisse.  
Primum ait, Ecclesiæ Catholicæ Præsules,  
et pastores id unum satagere, ut hominibus  
persuadeant, eos qui legunt Scripturas sa-  
cras novi, ac veteris testamenti, hæreticos  
fieri. Sed quale est hoc mendacium? An non  
Scripturæ sacræ utriusque testamenti Sum-  
mo Pontifice, non solum approbante, sed  
etiam jubente passim publice et privatim in  
templis, in scholis, in domibus leguntur?  
Deinde addit, impie prohiberi lectionem bi-  
bliorum lingua vulgari, cum Moses in lege  
veteri jusserit ut sacerdotes ad populum  
lingua materna conciones haberent? O acu-  
men, quasi vero Ecclesiæ Catholicæ sacer-  
dotes non lingua materna ubique ad populos  
concionentur. Tertio dicit Christum quoque  
id ipsum discipulis imperasse, ut videlicet  
ad populum vulgari idiomate loquerentur.  
Et quamquam vulgaris idiomatis nulla in  
Evangelio, ut nec in lege Mosis, mentio fit,  
admittimus tamen ad gentes ad quas docen-  
das missi erant, Apostolos lingua vulgari  
esse concionatos, quod ut dixi, etiam hoc  
tempore faciunt Catholici Sacerdotes. Sed  
iidem cur quæso lingua minime vulgari epi-  
stolas conscripserunt, si eas a vulgo legi  
voluerunt? Nam certe B. Paulus ad Roma-  
nos non romane sed græce scripsit, et Apo-  
stoli Petrus et Jacobus ad Hebræos non he-  
braice sed græce litteras dederunt; et S.  
Joannes Parthis non Particam, sed Græcam  
epistolam misit. Quarto dicit, ab Apostolo  
Paulo serio Christianis omnibus denunciari,  
ut sacras litteras investigent, ac scrutentur.

Atqui hoc præceptum Apostolicum in 14.  
quæ exstant, Paulinis Epistolis non inveni-  
tur; si Calviniani quintam decimam forte  
habent, non graventur eam cum cæteris  
communicare. Sed quando Paulus Apostolus  
hoc juberet, qui, ut dixi, ad Romanos ea  
lingua scripsit, quam vulgus non intelligen-  
bat; qui serio monet ad Ephes. iv. positos  
in Ecclesia doctores, et pastores, ut videli-  
cet non deessent, qui divinas litteras impe-  
ritæ multitudini exponerent? Postremo ar-  
gumentum inde petit adversarius, quod Ma-  
homethus populis suis persuaserit, ad eos  
non pertinere libros legis Domini per se  
evolvere, cum id proprium sacerdotum sit,  
sed utrum Mahomethus id præceperit, ad-  
versarius noster viderit. Nos vero non in Al-  
corano pseudoprophetæ Mahomethi, sed in  
Malachia sancto, fidelissimoque propheta,  
legimus: *Labia sacerdotis custodiunt scienti-  
am et legem requiretis ex ore ejus: quia An-  
gelus Domini exercituum est.* Malach. II. (1).  
Et sanctum Basilium gravissimum doctissi-  
mumque Patrem, præfecto culinæ impera-  
toriæ locum e divina Scriptura proferenti  
respondisse scimus: « Tuum est de pulmen-  
tis cogitare, non dogmata divina deco-  
quere », id quod refert Theodoretus lib. iv.  
historiæ eccles. cap. 17. Sanctum quoque  
Hieronymum, clarissimum Ecclesiæ Catho-  
licæ lumen, non ignoramus quam acriter  
reprehenderit, in epistola ad Paulinum, pra-  
vam illam consuetudinem, qua sibi divinas  
litteras omnes vendicabant, cum tamen alio-  
qui veteri proverbio, tractent fabrilis fabri.  
Atque hactenus de illa declamatione, qua  
Summum Pontificem Antichristum esse fru-  
stra probare adversarius contendebat.

## CAPUT XIV.

*Responsio ad ea, quæ ex Dante Aligherio con-  
tra Sedem Apostolicam adferuntur.*

Venio nunc ad ea, quæ ex Dante poeta  
italico in medium adferenda libelli auctor  
judicavit. Ea licet multa et varia sint, tamen  
omnia ad quinque capita revocari possunt.  
Primum enim in opere illo Dantis certorum  
Pontificum et Cleri etiam totius vitia dete-  
guntur; deinde locus Apocalypsis de Baby-  
lone ad Summos Pontifices applicatur; ter-  
tio sacrificium Missæ juxta Lutheranorum  
errorem improbari videtur; quarto Lutheri  
adventus, et prædicatio prophetico spiritu,

si adversariis credimus, præsignificatur;  
quinto Indulgentiæ pontificiæ reprehendi vi-  
dentur. Ordiamur a primo. Quinque Ponti-  
ces a Dante reprehensos adversarius anno-  
tavit, Anastasium II, Nicolaum III, Bonifa-  
cium VIII, Clementem V, et Joannem XXII.  
Addere poterat ad alios etiam Cœlestinum  
V, hos enim sex ex tam ingenti numero  
Summorum Pontificum in toto illo opere re-  
prehendit. Sed in Anastasio ex inscitia tur-  
piter lapsus est. Scribit enim Anastasium  
inter hæreticos in gehenna puniri, ob hære-  
sim quamdam Photini.

## CANT. 11 DELL'INFERNO.

*Ci raccostamo dietro ad un coperchio  
D'un grande avello, ov'io vidi una scritta  
Che diceva, Anastasio Papa guardo  
Lo qual trasse Fotin da la via dritta.*

Commentarius adversarii ad hunc locum  
habet, Photinum in Thessalia docuisse Spi-  
ritum sanctum a Patre non procedere; et  
Filius minoris auctoritatis esse quam Pa-  
trem: atque hanc hæresim ita placuisse  
Anastasio II Pontifici, ut eam etiam publice  
defendere sit conatus, proinde jure a Dante  
inter hæreticos numerari. Ac Dantes quidem  
aliqua venia dignus est, quippe qui Marti-  
num Polonum, Gratianum, et alios quosdam  
erroris sui habuit auctores. Illi enim Dante  
antiquiores scriptum reliquerunt, Anasta-  
sium Pontificem in eo peccasse, quod Aca-  
cium Eutychnianæ hæresis fautorem, et a  
Prædecessoribus suis juste depositum, in  
sedem Constantinopolitanam revocare vo-  
luerit, quodque Photino cuidam Thessalo-  
nicensi Acacii amico sine consensu Episco-  
porum cæterorum temere communicaverit.  
Addunt etiam, prædictum Anastasium ob  
id peccatum divina ultione percussus mi-  
sere periisse. Quæ omnia falsa fabulosaque  
sunt, nam certissimis testibus constat, Aca-  
cium multo ante obiisse diem suum, quam  
Anastasius pontifex fieret: testantur id Eva-  
grius lib. III. histor. cap. 23. Nicephorus  
lib. xv. cap. 17. et Liberatus in Breviario de  
causa Nestoriana cap. 18. Quomodo ergo  
fieri potest, ut Anastasius Acacium ad se-  
dem revocare voluerit, quem jam olim de-  
functum esse constabat? Deinde, nonne ex-  
stat epistola doctissima et pulcherrima hujus  
Anastasio Pontificis optimi ad Anastasium  
imperatorem, in qua totis viribus persua-  
dere nititur, ne nomen quidem Acacii tole-

(1) Malach. II, 7.